

PONTIFICIUM CONSILIUM  
DE LEGUM TEXTIBUS  
INTERPRETANDIS

# COMMUNICATIONES

VOL. XXIV - N. 1

---

1992

# COMMUNICATIONES

PONTIFICIUM CONSILIUM  
DE LEGUM TEXTIBUS INTERPRETANDIS

Piazza Pio XII, 10 - 00193 Roma

N. 1

IUNIO 1992

Semestrale

Sped. Abb. Postale - Gruppo IV - 70%

## EX ACTIS IOANNIS PAULI PP. II

### ALLOCUTIONES

Allocutio Summi Pontificis ad Iudices, Administros Advocatosque Rotae Romanae coram admissos . . . . .	3
Allocutio Summi Pontificis ad quosdam sodales "World Jurist Association of the World Peace through Law Center" coram admissos . . . . .	7
Ex Allocutione Summi Pontificis ad eos qui XXXV annuali Conventui "Canon Law Society of Great Britain and Ireland" interfuerunt coram admissos . . . . .	10

### ACTA CONSILII

Praecipuorum actorum conspectus . . . . .	13
---	----

## EX ACTIS SANCTAE SEDIS

### SECRETARIA STATUS

Rescriptum ex Audientia Ss.mi, quo Ordinatio generalis Romanae Curiae foras datur . . . . .	17
---	----

### CONGREGATIO DE DOCTRINA FIDEI

Instructio quoad aliquos adspectus usus instrumentorum communicationis socialis in doctrina fidei tradenda . . . . .	18
--	----

### STATUS CIVITATIS VATICANAE

Legge sulla disciplina delle attività di volontariato . . . . .	28
---	----

## EX ACTIS PONTIFICIAE COMMISSIONIS CODICI IURIS CANONICI RECOGNOSCENDO

I. Coetus studii « De sacra Hierarchia » (olim « De Clericis ») (Sessio VI) . . . . .	32
II. Coetus studii « De sacra Hierarchia » (olim « De Clericis ») (Sessio VII) . . . . .	56
III. Coetus studii « De sacra Hierarchia » (olim « De Clericis ») (Sessio VIII). . . . .	92
IV. Coetus studii « De sacra Hierarchia » (olim « De Clericis ») (Sessio IX) . . . . .	128
Opera a Consilii Bibliotheca Recepta . . . . .	177
Notitiae . . . . .	179

# Ex Actis Pont. Comm. CIC Recognoscendo

## I

### COETUS STUDII « DE SACRA HIERARCHIA » (OLIM « DE CLERICIS »)

#### Sessio VI<sup>1</sup> (dd. 14-19 aprilis a. 1969 habita)

Diebus 14-19 aprilis 1969, in Aula huius Pontificiae Commissionis habita est VI<sup>a</sup> Sessio Consultorum qui Coetum studiorum efformant ad recognoscendas normas « De Sacra Hierarchia ».

Conventibus adfuerunt quinque Exc.mi et quattuor Rev.mi Consultores, una cum Rev.mo Onclin, Commissionis Secretario adiuncto, qui munere praesidis fungebatur, atque Rev.mo Herranz, Adiutore e studiis. Legitimo impedimento detenti, adunationibus adesse non valuerunt Exc.mus unus atque Rev.mi duo Consultores.

Quaestiones in hac VI<sup>a</sup> Sessione studii pertractandae, de quibus Consultores sua vota tempore opportuno paraverant, sunt sequentes:


1. De Curia dioecesana (cfr. cann. 363-390 hodierni CIC), et praesertim quidem de eius generali organizatione, attentis principiis tum unitatis regiminis tum divisionis functionum in exercitio potestatis (cfr. « Principia quae Codicis Iuris Canonici recognitionem dirigant », n. 7);

2. De sede impedita aut vacante (cfr. cann. 429-444 hodierni CIC).

Ineunte sessione, Rev.mus Secretarius Ad. a Consultoribus quaerit, qui praecedenti huius Coetus Sessioni adfuerunt, an approbent Relationem conclusivam ipsis transmissam circa hos labores.

Exc.mus primus Consultor, se referens ad pag. 16, in fine (cfr. *Communicationes* 19 [1987] 114, in medio), existimat principium generale statui non posse eo sensu ut diaconi uxorati omnes per se ipsi providere debeant propriae sustentationi.

<sup>1</sup> Praecedentes Sessiones huius Coetus studii inveniuntur in *Communicationes* respective 16 (1984) 158-195 (I Sessio); 17 (1985) 74-112 (II Sessio); 18 (1986) 54-110 (III Sessio); 111-170 (IV Sessio); 19 (1987) 106-148 (V Sessio).



Mavult ergo Exc.mus ut dicatur: « in votis est ut diaconi uxorati provideant per se ipsos ad propriam sustentationem, nisi totaliter sese devoveant servitio Ecclesiae, quo casu ipsa Ecclesia provideat ». Haec animadversio omnibus placet et, cum aliae correctiones non proponantur, relatio approbatur cum supradicta emendatione.

Quaeritur etiam an aliquis animadversiones vel propositiones admove-re desideret in textus canonum qui iam approbati sunt in praecedenti Sessione. Quidam Consultores responsum dant affirmativum, ideoque ab hac materia incipit disceptatio.

## I. RECOGNOSCUNTUR CANONES IN PRAECEDENTI SESSIONE APPROBATI <sup>1</sup>

### A) DE EPISCOPIS IN GENERE

#### *Can. 5* [§ 3]

Rev.mus Secretarius Ad. aestimat textum esse mutandum quia non potest quis facere professionem, antequam recipiat canonicam missionem: quando nominatur ad officium, recipit hanc missionem. Proponit ergo ut textus sit: « Antequam canonicam possessionem sui officii capiat, promotus fidei professionem emittat de qua... ». Placet omnibus.

#### *Can. 6*

Circa § 1, 1 multae afferuntur a Consultoribus rationes tum pro conservatione tum pro suppressione horum verborum.

Exc.mus primus Consultor expedire censet ut impedimentum maneat. Idem sentiunt Exc.mi secundus, tertius, quartus, et quintus, atque Rev.mi sextus et septimus Consultores. Attamen Rev.mi Secretarius Ad., octavus et nonus Consultores existimant hunc numerum 1<sup>o</sup> supprimi posse, quia sufficit iudicium definitivum Sanctae Sedis, de quo in § 2.

Sequenti autem die quaestio iterum pertractatur, et Exc.mus quartus Consultor postulat ut hoc impedimentum supprimatur quia: *a)* melius est ut res determinetur a Conferentiis Episcopalibus, attentis cuiusque loci adiunctis; *b)* si candidatus aliquis reiiciatur, omnes scient eum esse illegitimum; *c)* sic Ecclesia privari potest optimis Episcopis; *d)* conscientia socia-

<sup>1</sup> Textus canonum invenitur in *Communicationes* 19 [1987] 131-148.

lis hodierna non admittit has discriminationes. Hac de causa, sufficere videtur § 2.

Respondet autem Rev.mus sextus Consultor Conferentiam Episcopalem, cum candidatum aliquem proponit, prae oculis semper habere debere conditionem familiarem: si ergo adiuncta id suadeant, nihil impedit quominus aliquo in casu Conferentia Episcopalis candidatum proponat postulans simul dispensationem Sanctae Sedis ab hoc requisito. Concordat tamen Rev.mus sextus Consultor cum Rev.mo octavo Consultore in eo quod aliqui presbyteri experiri possunt complexum inferioritatis, eo quod idonei non considerentur propter illegitimitatem, quapropter stat pro suppressione numeri 1° § 1.

Rev.mus Secretarius Ad. addit hanc discriminationem hodie non amplius sustineri posse.

Adiungit Exc.mus quartus Consultor differentias magnas existere pro regionum diversitate. Nonnullis enim in locis Americae Latinae 70% infantium sunt illegitimi.

Exc.mus tertius Consultor anceps haeret.

Rev.mus septimus Consultor in mentem revocat inquisitionem familiarem quae ante ordinationem fieri solet, ad comperiendas taras forte existentes. Si vero candidatus sit filius illegitimus, necessaria haec inquisitio fieri non potest.

Quaestio igitur suffragationi proponitur, cuius exitus hic est:

Maneat numerus 1°: Exc.mi secundus, tertius et primus ac Rev.mi septimus et nonus Consultores.

Supprimatur: Exc.mi quintus et quartus ac Rev.mi octavus Consultores et Rev.mus Secretarius Ad.

His attentis, Rev.mus sextus Consultor suggerit ut quaestio in aliam diem differatur, ita ut omnes denuo cogitare valeant: *a)* de ratione ob quam hoc impedimentum existit (respondet Rev.mus Secretarius Ad. historice id esse propter maiorem propensionem ad libidinem, quae tamen ratio sustineri nequit); *b)* si forte hoc praescriptum respondeat necessitati protegendi sanctitatem matrimonii, adhuc perpendendum erit utrum haec ratio hodie sustineatur necne.

Alia ergo die denuo haec quaestio agitur. Leguntur Litterae datae a Secretaria Status, die 10 martii 1969, una cum postulatis v.d. « Associazione Nazionale Famiglie Adottive e Affilianti ».

Rev.mus sextus Consultor hoc dicit: *a)* tamquam merum factum, differentia adest inter filios legitimos et illegitimos; *b)* quaestio tamen ponitur: utrum ex hoc sequi debeant effectus iuridici necne. In Germania magna de hac quaestione habita est disceptatio, et tandem schemata

legum confecta sunt ubi absoluta aequiparatio statuitur legitimos inter et illegitimos; *c)* differentia haec effectus habeat tantum in ambitu familiae, non tamen extra ipsum, quia tunc illi effectus inniterentur in aliqua diffamatione.

Adiungit Exc.mus quartus Consultor multis in locis confusionem oriri, eo quod ius civile effectus non tribuit illegitimitati, quapropter admiratio provocatur eo quod ius canonicum has praescriptiones servat.

Rev.mus septimus Consultor dicit se denuo cogitasse de rationibus huius impedimenti: *a)* ratio libidinis sustineri nequit; *b)* sanctitas matrimonii utique extolli debet, sed hoc fiat in legislatione de matrimonio: aliter enim Ecclesia privari potest optimis Episcopis; neque praetermitti potest sanctos adesse Episcopos, ab Ecclesia canonizatos, qui illegitimi nati fuerant.

Rev.mus nonus Consultor, ex parte sua, haec exponit: *a)* auctoritas debet habere elementa ex quibus iudicare valeat, quae tamen elementa desunt si candidatus sit illegitimus: cognosci enim nequeunt antecedentia familiaria e quibus oriri possunt anomaliae psychologicae; *b)* comparatio ius civile inter et canonicum non videtur esse ad rem: nam episcopatus est munus omnino peculiare; *c)* nemo ius habet ad episcopatum recipiendum; praeterea, si bonae sint qualitates candidati, dispensatio in casu obtineri valet. His de causis Rev.mus anceps haeret.

Circa ultimam rationem a Rev.mo nono Consultore adductam, Rev.mus sextus Consultor dicit neminem utique ius habere ad episcopatum recipiendum, sed in casu agi potius de diminutione famae alicuius personae in communitate ecclesiastica, quae diffamatio caret fundamento sive morali sive iuridico. In legibus civilibus differentia agnoscitur tantum in ambitu sphaerae personalis, ubi aliae relationes habentur.

Exc.mus secundus Consultor plene concordat cum ratione sub *b)* allata a Rev.mo nono Consultore, ne auctoritas civilis nimis extollatur; praeterea ex illa conditione semper habetur quaedam diffamatio, etiam in vita civili. Praeterea, propter honorem episcopatus, mavult Exc.mus ut impedimentum maneat, quamquam forte dici potest: « ordinarie sit legitimus... ».

Exc.mus primus Consultor, ut petitioni satis fiat Associationis Nationalis, postulat ut in canone dicatur « natus legitimus aut legitimatus ».

Rev.mus sextus Consultor censet adhuc pervestigandas esse rationes huius impedimenti, quae sunt: *a)* diffamatio, quae semper habetur sive in societate civili sive in Ecclesia; *b)* propensio ad libidinem, quae tamen ratio hodie non sustinetur. Remanet igitur una ratio aestimanda, scilicet diffamatio.

Exc.mus tertius Consultor existimat hanc personae famam considerari posse in numero 4<sup>o</sup> eiusdem paragraphi, ubi iam dicitur « bonis mori-

bus... »: ibidem dici potest « bona fama » vel « bona aestimatione gaudens ». Ita enim, si illegitimitas laedit bonam famam, iam habetur hoc impedimentum; sic praeterea consulitur aliis casibus, ex. gr. alicuius filii legitimi, qui tamen bona aestimatione non afficitur propter divortium parentum vel defectum moralitatis in familia, etc. His rationibus alii accedunt Consultores.

Proponentibus Rev.mis Secretario Ad. et sexto Consultore ab omnibus approbatur ut § 1, n. 1° sic redigatur: « 1° bona existimatione gaudens ».

Quoad § 2 eiusdem canonis 6, Rev. mus Secretarius Ad. proponit ut dicatur « ad *Sanctam* Sedem », loco verborum « ad Apostolicam Sedem », quia et in Oriente adsunt Sedes apostolicae.

Rev.mus nonus Consultor animadvertit catholicos orientales loqui solere de « Sede Apostolica », dum orthodoxi eam vocant « Sedem Romanam ». Ipse Rev.mus mavult ut dicatur « Apostolica Sedes ».

Rev.mus septimus Consultor censet utramque expressionem alternatim adhiberi posse.

Concordant omnes, et textus relinquitur uti est.

#### Can. 8

Quoad § 2, Rev.mus octavus Consultor proponit ut addatur verbum: « si ab omni munere *legitime* cessaverit ».

Censet Rev.mus sextus Consultor rem hanc intime cohaerere cum quaestione de eo qui communionem amittit cum Collegio Episcopali, quapropter dicendum esse existimat: « etiamsi ab omni munere *episcopali* cessaverit ». Hoc quidem, nisi canon introducatur de amissione communionis hierarchicae.

Ad quaestionem indirecte solvendam, Rev.mus Secretarius Ad. proponit ut in § 1 dicatur: « A recepta consecratione episcopali, Episcopi *qui in communione sunt cum Collegii Capite et membris*, sive sint dioecesani... ».

Rev.mus sextus Consultor hac redactionem proponit: « Episcopi, sive dioecesani sive titulares, a recepta consecratione Episcopali, si quidem in communione hierarchica sunt cum Collegii Capite et membris, facultatibus gaudent... ». Hic textus placet omnibus.

Approbato hoc textu pro § 1, Rev. mus sextus Consultor existimat supprimi posse § 2: si quis enim amittit communionem cum Collegio, desinit esse Collegii membrum, et ipso facto amittit has facultates.

Concordat Rev.mus Secretarius Ad. quoad suppressionem § 2, dummodo §1 ita redigatur: « A recepta ordinatione episcopali, si quidem in communione hierarchica sunt cum Collegii Capite et membris Episcopi omnes, sive dioecesani sive titulares, facultatibus gaudent... ». Hoc placet omnibus.

## B) DE EPISCOPIS DIOECESANIS

*Can. 4*

Quoad § 2, Exc.mus quartus Consultor obiectionem movet adversus verba « quam maxime fovens ». Rev.mi septimus et octavus Consultores cum hac obiectione concordant, quia fideles scandalizantur et conqueruntur de maiore cura habita erga fratres seiunctos quam erga catholicos; dicit etiam Rev.mus sextus Consultor se multos catholicos audivisse dicentes: « Utinam essem frater seiunctus, quia maiorem caritatem erga me exhiberent! ».

Quoad hanc necessitatem servandi ordinem caritatis omnes concordant, et Rev.mus Secretarius Ad. sequentem textum proponit, qui ab omnibus approbatur: « ... oecumenismum quoque, ut ab Ecclesia intelligitur, prout adiuncta id suadeant, fovens ».

*Can. 8*

Relate ad § 3, Rev.mus sextus Consultor quaerit explanationem circa verbum « legitime ». Respondet Rev.mus Secretarius Ad. hoc verbum sese referre ad libertatem quoad quaestiones de quibus Magisterium iudicium non tulit.

Quaerit etiam Rev.mus sextus Consultor cur in canone nihil dicatur de functione Episcopi iudicandi in materia fidei, vel eo magis quod nonnulli Episcopi hoc suum munus, tanti quidem momenti, hodie non exercent. Respondet Rev.mus Secretarius Ad. hoc officium iam recenseri per verba « integritatem et unitatem fidei credendae firmiter tueatur », quae in initio paragraphi posita sunt.

Rev.mus nonus Consultor dicit Episcopum in rebus fidei esse magistrum et doctorem, haud proprie iudicem; nam potestas iudicialis ad res humanas iustitiae potius spectat.

Rev.mus septimus Consultor cum iis non concordat, quia si quis sententiam haereticam docet eo ipso delictum committit.

Rev.mus sextus Consultor addenda esse censet verba in canone:

« tueatur *via disciplinari* », quia in textu non dicitur quomodo Episcopi hoc facere debeant. Cum iis consentiunt Exc.mus secundus Consultor et alii.

Rev.mus septimus Consultor concordat cum additione proposita a Rev.mo sexto Consultore, ita tamen ut dicatur: « tueatur, *etiam modo disciplinari* »; exoptat praeterea Rev.mus ut commendatio addatur, ut theologi hac sua libertate prudenter utantur, non videlicet in concionibus aut in ephemeridibus non scientificis.

Exc. mus tertius Consultor proponit ut, in eadem § 3, dicatur: « libertatem *tamen...* », quod omnibus placet.

Quoad initium huius paragraphi, Rev. mus Secretarius Ad. hanc formulam proponit, quae ab omnibus approbatur: « ... credendae aptioribus mediis firmiter tueatur ».

*Can. 12*

Rev. mus sextus Consultor obiectionem movet contra verba § 1 « de licentia Superioris localis », quia sic nimis extollitur institutum exemptionis. Animadvertit tamen Rev. mus Secretarius Ad. quaestiones de exemptione pertractandas esse a Coetu « De religiosis ». Adiungit tamen Rev. mus congruum non esse ut Superior localis permissionem det Episcopo; praeterea, si Episcopus veniam concessit ut Institutum religiosum in dioecesi stabilia- tur, non decet ut deinceps venia indigeat religiosorum. His rationibus, omnibus placet ut expungantur verba: « et, si de ecclesia exempta agatur, de licentia Superioris localis ».

*Can. 14*

Proponente Rev. mo Secretario Ad. ab omnibus approbatur sequens emendatio in § 2: « ... praesertim circa ministerium verbi, administrationem Sacramentorum et Sacramentalium, cultum Dei et Sanctorum necnon piarum voluntatum implementum ».

*Can. 16*

Proponit Rev. mus sextus Consultor ut dicatur: « In omnibus negotiis *iuridicis* ... », quia sic canon extenditur etiam ad ambitum civilem. Placet haec emendatio.

*Can. 17*

Censet Rev. mus sextus Consultor hunc canonem forte esse superfluum, quia de hac materia agendum erit postea, ubi de consiliis dioecesanis. Exsistimat tamen Rev. mus Secretarius Ad. canonem manere posse, cum tota haec quaestio alio tempore consideranda sit, in quo omnes concordant. Canon ergo pro nunc manet.

*Can. 23*

Rev. mus sextus Consultor obiectionem movet contra verbum « personae », quia etiam non catholici sunt personae, necnon contra locutionem « intra dioecesis ambitum ».

Quoad primam obiectionem, Rev.mus nonus Consultor respondet Episcopos in Oriente visitare etiam Hierarchas orthodoxos, musulmanos, etc. Attamen Rev.mus sextus Consultor animadvertit hanc non esse visitationem in sensu canonico.

Rev.mus Secretarius Ad. censet verba supra dicta manere posse, quia in canone dicitur tantum « obnoxiae sunt », id est, sunt obiectum visitationis, sed non affirmatur eas personas esse subditos.

Concordant omnes, et ideo textus canonis non mutatur.

*Can. 24*

Rev.mo sexto Consultori non placent verba « paterna forma », quae tamen, pro nunc, in textu manebunt.

*Can. 26*

Postulat Rev.mus sextus Consultor ut, in fine § 2, dicatur « *determinata* », loco verbi « *determinentur* », quod placet.

\* \* \*

Rev.mus sextus Consultor quaerit demum cur in his canonibus nihil dicatur de remuneratione Episcoporum quando sunt in muneris exercitio. Respondet Rev.mus Secretarius Ad. de hoc iam agi in canonibus de clericis in genere, quod sane congruere videtur, quia nonnullis in casibus Episcopi se gerunt quasi sint dominatores omnium bonorum dioecesis, quod rectum non est. Ad hoc vitandum, necnon propter rationes iustitiae, requiritur norma concreta. Rev.mus Secretarius Ad. hac de re suggerit ut omnibus in dioecesibus oeconomus habeatur non tantum sede vacante, sed etiam sede plena, necnon ut instituatur organum similitudinem prae se ferens cum sic dicta « corte dei conti », uti iam adest in universis dioecesibus quarundam nationum.

Quaerit Rev.mus octavus Consultor quid de hac re statutum sit a Coetu « De bonis ecclesiasticis » et respondet Rev.mus Secretarius Ad. se curaturum esse ut informationes exquirantur.

Censet Exc.mus tertius Consultor totam hanc quaestionem apte solvi posse in canonibus de coetu administrativo, de quibus agendum erit sub titulo de Curia dioecesana, qua in re omnes concordant.

## C) DE EPISCOPIS COADIUTORIBUS ET AUXILIARIBUS

*Can. 1*

Censet Rev.mus sextus Consultor in canone non satis exprimi rationem ob quam Coadiutor vel Auxiliaris constituendus sit: bonum enim dioecesis videtur esse solummodo ratio generica. Ratio specifica ob quam coadiutor nominatur in eo consistit, quod Episcopus dioecesanus hoc adiutorio indiget ad munus suum recte adimplendum, saltem ad normam Codicis, ubi dicitur « minus aptus evaserit ».

Brevis habetur de hac re disceptatio, sed Rev.mus sextus Consultor non insistit, et ideo textus canonis non mutatur.

*Can. 4*

Quaerit Rev.mus sextus Consultor quid significant verba « prae aliis » in § 1. Rev.mus Secretarius Ad. respondet haec verba ita intelligenda esse, ut, ceteris paribus, Coadiutor aliis praefendus sit.

*Can. 5*

Rev.mus sextus Consultor objectionem admovet contra verbum « consulat » in fine § 2, quia, iuxta hanc redactionem, nulla apparet differentia coadiutorem inter et auxiliarem. Immo, timendum est ne videatur institui quoddam consilium episcoporum, quod collegialiter agere debeat. Hac de causa Rev.mus mavult ut dicatur: « consulere velit ». Rev.mus Secretarius Ad. censet hoc periculum non adesse, quia textus non imponit obligationem consulendi, eoque minus obligationem sequendi consilium: ut vere enim habeatur regimen collegiale requiritur consensus collegii, de quo tamen nulla fit mentio.

Exsistimat tamen Rev.mus sextus Consultor in Decr. *Christus Dominus* statui solummodo obligationem consulendi coadiutorem, haud vero auxiliarem. Praeterea, ait ipse Rev.mus, si in canone dicatur « consulat » problemata exsurgent quoties episcopus non consulat, etiam circa ipsam validitatem actus. His accedit Rev.mus septimus Consultor qui proponit ut § 2 in duas paragraphos dividatur, ubi separatim agatur de consultatione cum coadiutore et auxiliari.

Adiungit Exc.mus quartus Consultor distinctionem a Concilio factam quoad necessitatem vel opportunitatem consulendi sive coadiutorem sive auxiliarem plene congruentem esse; nam coadiutor est episcopi successor, et ideo expedit ut de rebus momentum habentibus consulatur intuitu futurae successionis.

His attentis, Rev.mus Secretarius Ad. has duas paragraphos proponit, loco praecedentis § 2 ponendas:

« § 2. Ut quam maxime praesenti ac futuro dioecesis bono faveatur, Episcopus dioecesanus et coadiutor in rebus maioris momenti mutuo se consulant.

§ 3. Episcopus dioecesanus, in perpendendis causis maioris momenti, praesertim indolis pastoralis, Episcopos auxiliares prae aliis consulere velit ». Hoc placet omnibus.

*Can. 7*

Proponit Rev.mus septimus Consultor ut, ubi non adsit coadiutor, Episcopus auxiliaris fiat ipso iure Vicarius capitularis. Respondet tamen Rev.mus Secretarius Ad. Concilium noluisse ut Capitulum cathedrale hoc suo iure privaretur; quapropter fit quidem commendatio, sed obligatio non imponitur.

Quoad § 3, Rev.mo sexto Consultori minus placet verbum « statim », quia novus Episcopus tempus habere debet ad iudicandum de opportunitate huius actus. Proponit ergo Rev.mus ut dicatur « sine mora », quod omnibus placet.

*Can. 10*

Quoad § 1, Rev.mus sextus Consultor desiderat ut dicatur « ... applicatur praescriptum can. 28 § 1 », sed Rev.mus Secretarius Ad. respondet in casu magis congruere citationem § 2 eiusdem canonis, quia coadiutores septuagenarii nominari non solent, et praesumi potest eos successionem in sede dioecesana obtinere ante expletum septuagesimum quintum suae vitae annum: exceptiones quidem adesse possunt, sed ius respicere debet casus generales. His dictis accedit Rev.mus septimus Consultor.

D) DE VICARIIS GENERALIBUS ET EPISCOPALIBUS

*Can. 1*

Rev.mus octavus Consultor iterum quaestionem proponit de unico Vicario generali, quia pro aliis rebus iam habentur Vicarii episcopales. Respondet tamen Rev.mus Secretarius Ad. hanc rem consideratam et solutam iam fuisse in Commissione conciliari « De Episcopis ».

Exc.mus quartus Consultor mavult ut unus sit Vicarius generalis, quia in canone dicitur eum constitutum esse ut adiuvet in universae dioecesis regimine, quod male intelligitur si Vicarii plures sint.

Respondet Rev.mus Secretarius Ad. hoc de iure ita esse, de facto tamen potestatem Vicariorum generalium limitari posse, ubi ipsi plures sint, ita ut unusquisque in determinata negotia incumbat: si vero unus absit, alius poterit eius vices gerere, et haec est utilitas huius pluralitatis. Praeterea regula est ut unus habeatur Vicarius generalis.

Rev.mus sextus Consultor manifestat omnes Germaniae dioeceses, una excepta, unicum habere Vicarium generalem, sed tali structura praeditas esse, ut, absente Vicario generali, alius Presbyter eius vices gerat et omnia negotia sine difficultate procedant.

Expedire autem censet Rev.mus Secretarius Ad. ut, hac in re, libertas relinquatur Episcopis, dummodo singulis in dioecesibus unus Vicarius generalis sit caput curiae qui omnia coordinet, servata quidem aliorum competentia. His attentis de unicitate capitis curiae, Consultores existimant textum huius canonis retineri posse uti iacet.

#### *Can. 3*

Quoad § 2, Rev.mus sextus Consultor postulat ut, in canonibus de curia dioecesana, dicatur aliquem semper adesse debere qui Vicarium generalem absentem vel impeditum suppleat: sic etiam providetur dioecesibus qui unum habent Vicarium generalem. Omnibus placet ut id ita fiat.

#### *Can. 4*

Exc.mis tertio et primo Consultoribus nimis dura videntur verba « nisi vera necessitas aliud postulet », quaeveniuntur in § 2. Alii tamen Consultores idem non sentiunt, quapropter textus non mutatur.

Rev.mus sextus Consultor desiderat ut, iuxta ea quae in Coetu « De quaestionibus [=Normis] generalibus » approbata sunt (cfr. *Communicationes* 21 [1989] 123-124; 136, can. 11) in § 4 dicatur « usque ad tertium gradum », quod omnibus placet.

#### *Can. 5*

Rev.mus septimus Consultor postulat ut, in § 3, deleantur verba « nec non rescriptorum executio... dioecesani ». Attamen ipse Rev.mus censet

talia verba manere posse, si in canonibus de curia dioecesis apte determinetur coordinatio a Vicario curiae capite efficienda. Placet omnibus ut, iuxta petitionem Rev.mi septimi Consultoris, haec verba maneant, sed coordinatio bene in canonibus de curia determinetur.

*Can. 6*

Censet Exc.mus quartus Consultor quandam contradictionem latere in verbis « gesta vel gerenda » contenta in § 1: etenim, si de negotiis agitur, expedit ut Vicarii antea referant, ergo dicatur tantum « gerenda ». Proponit tamen Rev.mus Secretarius Ad. ut dicatur « et gerenda et gesta », quia sic convenientia referendi extenditur etiam ad incepta, et haec est mens iuxta quam haec verba ita redacta sunt.

Hoc placet omnibus.

*Can. 7*

Exc.mus tertius Consultor expedire non censet ut Vicarius generalis in suo munere permaneat usque ad Vicarii capitularis electionem.

Concordat Rev.mus sextus Consultor, quia Vicarius est veluti alter ego Episcopi, et oportet ut cum eo cesset: haec est traditio et quasi essentia officii quo Vicarius fungitur. Concordat item Exc. mus secundus Consultor, quia Vicarius generalis abuti potest sua potestate et indebitum influxum exercere in electionem Vicarii capitularis. Alia tamen ex parte, ipse Exc.mus oportere existimat ut aliqua potestas in dioecesi habeatur usque ad electionem Vicarii capitularis.

Exc.mi tertius et primus Consultores animadvertunt electionem Vicarii capitularis, iuxta plura exoptata, forte posthac factum iri a Consilio presbyterali, quod quidem aliquot dies requiret.

Rev.mus octavus Consultor desiderat ut Vicarius generalis in munere permaneat. Ex eo enim quod Vicarius generalis est alter ego Episcopi, non sequitur ut Vicarius qui sit Episcopus auxiliaris in munere cesset, ergo non est cur Vicarius qui non sit Episcopus cessare debeat. Praeterea attendendum est ad bonum dioecesis, quod requirit ut non omnis potestas cesset.

Hac tamen in re ad nullam conclusionem pervenitur, ergo textus pro nunc manet uti est, et quaestio iterum considerabitur ubi « de Sede vacante ».

E) NOVA ANIMADVERSIO QUOAD CANONES  
DE EPISCOPIS DIOECESANIS

*Can. 15*

Coetus Consultorum « De normis generalibus » proponit ut in can. 15, § 1 haec verba addantur:

« ... in disciplinabilibus legibus *tam universalibus quam particularibus a suprema Ecclesiae auctoritate pro suo territorio latis*, quae bonum ... ».

Item in § 2: « Dispensare nequit in *hisce* legibus ... »

Haec animadversiones placent, et ideo textus mutatur.

II. DE CURIA DIOECESANA

Praemittit Rev. mus Secretarius Ad. multas quaestiones in votis pertractatas esse:

a) Nomen curiae servandum esse videtur.

b) Nomine curiae venire non debent tribunalia neque consilia quae Episcopum adiuvari possunt. Hac super re Rev. mus sextus Consultor dicit magnum progressum obtentum iri, si tribunalia primae instantiae pro provincia instituantur, ita ut in ipsis adsint viri vere periti ad hoc munus bene parati, licet quaedam functiones iudiciales exerceri queant in dioecesi, quamvis tribunal non habeatur.

Adiungit Rev. mus nonus Consultor hac de re optimam esse experientiam in Ecclesiis orientalibus, ubi habentur tribunalia patriarchalia, quamvis nonnullis in casibus causae instructio fit in dioecesi.

c) Ad canones redigendos, prae oculis habeatur oportet curiam constare non tantum personis (uti dicitur in can. 363 CIC), sed etiam institutis.

d) In Decr. *Christus Dominus* dicitur competentiam respicere cum regimen tum apostolatum. Quaerit ergo Rev. mus Secretarius Ad. num de apostolatu mentio in canonibus fieri debeat. Ipse Rev. mus et ceteri cum eo Consultores tenent verbum *regimen* iam per se complecti omnes actus, et ideo necessariam non esse explicitam mentionem apostolatus.

e) Saltem sensu lato, in curia includi possunt consilia, quia aliquo modo participant regimen universae dioecesis.

f) Attente determinanda erit divisio functionum in exercitio potestatis.  
Incipit ergo examen canonum « De Curia dioecesana »

*Can. 1* (can. 363)

Textus propositus a Rev.mo Secretario Ad. est sequens:

« § 1. Curia dioecesana constat illis institutis et personis quae Episcopo aliive, qui, loco Episcopi, dioecesim regit (vel: dioecesi praeest), opem praestant in regimine totius dioecesis.

§ 2. Ad eam pertinent personae quae in dioecesi deputantur ut in exercitio potestatis iudicialis aut in administratione dioecesis curanda partem aliquam habeant ».

Hic textus omnibus placet.

*Can. 2* (can. 364, § 1)

Hic est textus propositus et approbatus:

« § 1. Nominatio eorum qui in Curia officia exercent spectat ad Episcopum dioecesanum.

« § 2. Nominatio eorundem scripto consignetur, ad normam can. 159 ».

*Can. 3* (can. 364, § 2)

Quaerit Rev.mus Secretarius Ad. utrum tria haec puncta in Codice servari debeant, an expediat ut haec aliaque ab Episcopo statuuntur in normis iuris particularis.

Non concordant tamen Exc.mus primus Consultor et alii, quia si id ita fiat, multis in dioecesibus tales normae non habebuntur. Praeterea Exc.mus quintus Consultor expedire censet ut lex generalis adsit, in qua Episcopus inniti possit.

Quaerit Rev.mus octavus Consultor num de facto tales praescriptiones serventur. Respondet tamen Rev.mus Secretarius Ad. hoc non obstare quominus lex condi possit.

His opinionibus attentis, Rev.mus Secretarius Ad. sequentem textum proponit:

« Omnes nominati debent:

1° promissionem emittere de munere fideliter adimplendo, addito etiam iuramento, secundum rationes ab Episcopo determinatas;

2° negotia sibi commissa debita cum diligentia tractare, ad normam iuris;

3° secretum servare intra fines et secundum modum a iure vel ab Episcopo dioecesano determinatos ».

Hic textus approbatur ab omnibus.

*Can 4* (can. 365)

Omnes concordant in eo quod, ad res iudiciales quod attinet, remissio fiat ad canones de processibus. Ideo sequens textus proponitur et approbatur:

« De negotiis et de personis quae in Curia ad exercitium potestatis iudicialis se referunt, servantur praescripta cann. 1573-1593; de iis quae administrationem universae dioecesis respiciunt servantur praescripta canonum qui sequuntur ».

*Can. 5* (novus)

In hoc canone agendum erit de coordinatione laborum in Curia.

Quoad figuram capitis Curiae, Exc.mus primus Consultor mavult ut textus canonis loquatur de capite officii administrativi, ne verbum Curia sensu lato sumi videatur. Hac de re aliae locutiones proponuntur, sed Rev.mus sextus Consultor existimat quaestiones de verbis adhibendis solvi tantum posse postquam bene determinatae sint structura et functiones officii administrativi: caput huius officii habere debet propriam missionem, praeter functionem coordinandi actuositatem administrativam.

Omnes Consultores plene concordant quoad necessitatem unitatis administrativae.

Censet Rev.mus octavus Consultor Curiam esse instrumentum executivum, cuius est igitur Episcopi praescripta ad effectum deducere, sive directe sive auditis consiliis.

Rev.mus Secretarius Ad. tenet Episcopum utique coordinare debere omnes labores, caput autem Curiae vel officii administrativi ostentare Curiae repraesentationem ad extra (Vicarius generalis est enim alter ego Episcopi); quapropter ipsius esse videtur labores coordinare et distribuere sub Episcopi auctoritate. Adiungit Rev.mus sextus Consultor caput Curiae inspicere debere omnes actus administrativos, eosque subsignare atque negotia distribuere iuxta diversitatem competentiae. Exc.mo tertio Consultori non placet ut caput Curiae omnia inspiciat, quia sic libertas minuitur et Episcopi et fidelium quae litteras Episcopo scribunt.

Censet Rev.mus sextus Consultor haec prae oculis habenda esse: *a)* regula est ut unus tantum Vicarius generalis adsit; *b)* si plures sint, distinguendum erit prout omnes Vicarii generales degant in ipsa sede episcopali annon; *c)* si plures Vicarii adsint in ipsa sede episcopali et omnes in Curia laborent, tunc peculiaris cura de coordinatione habeatur oportet.

Proponit Exc.mus tertius Consultor ut dicatur: « Curet Episcopus ut apta coordinatio habeatur, recurrendo si casus ferat ad caput Curiae ». Atamen Rev.mus Secretarius Ad., et cum eo alii, censet hanc rem strictius determinandam esse, eo nempe sensu ut caput Curiae semper adsit, qui labores coordinet.

Suggerit Exc.mus quartus Consultor ut coadiutor et auxiliarius remaneant extra Curiam, ita ut ipsi Episcopum adiuvent in conficiendo programme generali: quae decisiones postea ad Curiam transmittantur pro executione. Respondet Rev.mus Secretarius Ad. coadiutorem et auxiliarem extra Curiam relinqui non posse, utpote qui nominandi sint Vicarii generales aut episcopales. Praeterea, coordinatio laborum inter coadiutorem et auxiliarem pertinet ad Episcopum dioecesanum, coordinatio vero aliorum laborum ad caput Curiae; immo vero, Episcopo absente vel impedito, coordinatio omnium laborum in dioecesi fieri debet a Curiae capite, ne auxiliares ab aliquo Presbytero pendere debeant.

Rev.mus Secretarius Ad. haec principia generalia prae oculis habenda esse censet in hac quaestione: *a)* necessitas ut in tuto ponatur Episcopi dioecesani potestas; *b)* necessitas item omnimodae coordinationis in rebus administrativis; *c)* convenientia ut Curiae caput externam quoque habeat repraesentationem. His attentis, sequitur Rev.mus, quaestio de subsignatione omnium actorum de re administrativa a Curiae capite separatim pendenda est.

Opportunum censet Rev.mus sextus Consultor ut, prout adiuncta id postulent, officium administrativum in diversas sectiones dividatur. Quaerit praeterea Rev.mus an Curiae caput exercere debeat veram directionem laborum. Ad hanc quaestionem negative respondet Rev.mus Secretarius Ad. quia id spectat exclusive ad Episcopum. Obicit autem Rev.mus sextus Consultor tunc caput officii non habere omnes potestates quibus indiget ad obtinendam unitatem totius actuositatis administrativae.

His attentis, Rev.mus Secretarius Ad. sequens schema canonis proponit:

« § 1. Episcopus dioecesanus curare debet ut omnia quae ad universae dioecesis administrationem pertinent negotia debite coordinentur et ad bonum portionis populi Dei sibi commissae aptius procurandum ordinentur.

§ 2. Ipsius Episcopi dioecesanum est coordinare labores qui ad exercitium pertinent munerum quae Vicario generali vel Vicariis generalibus et Vicariis episcopalibus sunt commissa; Episcopo autem absente aut impedito hoc officium coordinationis adimpleat Vicarius generalis qui Caput est Curiae aut qui ab Episcopo est ad hoc designatus.

§ 3. Si id expedire iudicaverit ad ordinatum dioecesis regimen, Episcopus sibi constituat Consilium episcopale, constans Vicariis generalibus et Vicariis episcopalibus necnon aliis quibusdam personis quas ipse eligit ».

Circa § 3 quaedam admoventur animadversiones, quia hoc consilium de facto multis in dioecesibus existit, sed oportere videtur ut in ipso partem quoque habeant Presbyteri.

Manifestat Rev.mus octavus Consultor nonnullis in locis adesse consilium supremum dioecesis, ex quo procedunt lineamenta generalia regiminis; Curiae, autem, iis in casibus committuntur dispensationes, rescriptorum executio, etc.; at vero prae oculis habendum esse videtur multas quaestiones existere quae administrativae dici nequeunt.

Exoptat quoque Rev.mus sextus Consultor ut in hoc consilio, praeter Vicarios, includantur quoque moderatores diversarum sectionum Curiae. Obicit autem Exc.mus tertius Consultor id necessarium non esse, quia in textu iam dicitur « necnon aliis quibusdam ». Attamen Rev.mus sextus Consultor mavult ut ipsi explicite nominentur.

Ad conciliandas has sententias, Rev.mus Secretarius Ad. suggerit ut, tamquam norma generalis, ubi unus tantum adsit Vicarius generalis, membra huius consilii sint etiam moderatores diversarum Curiae sectionum. Attamen Exc.mi tertius et quartus Consultores existimant id non esse necessarium.

Rev.mus septimus Consultor opportunum esse censet ut bene determinetur functio consilii de quo in § 3 huius canonis, ne confusio oriatur quoad competentiam Consilii presbyteralis. Ad id efficiendum, Rev.mus Secretarius Ad. suggerit ut quaestiones determinentur circa quas Consilium presbyterale audiendum sit.

Postulat Rev.mus nonus Consultor ut, in eadem § 3, dicatur « ... ad ordinatum *et efficacius* dioecesis regimen ... »; respondet tamen Rev.mus Secretarius Ad. hanc ideam iam exprimi in § 1, ubi dicitur: « ad bonum portionis populi Dei sibi commissae aptius procurandum ordinetur ».

Quaerit Exc.mus quartus Consultor utrum hoc organum vocandum sit Consilium episcopale an simpliciter consilium. Rev.mus Secretarius Ad. existimat adiectivum esse addendum, ne confundatur cum Consilio presbyterali.

*Can. 6 (novus)*

Postquam in canone praecedenti actum est de coordinatione ab Episcopo dioecesano efficienda, attentis iis quae in superiore disceptatione exposita sunt, textus nunc proponitur de coordinatione a Curiae capite curanda. Canon propositus sic sonat:

« § 1. In unaquaque dioecesi ab Episcopo dioecesano nominetur Caput Curiae, cuius est sub eiusdem auctoritate universae dioecesis administrationi praeesse atque labores quae ad eandem pertinent rite coordinare, salvo praescripto can. 5, § 2; eiusdem etiam est acta Curiae, una cum Ordinario a quo emanant, subscribere eorumque, si casus ferat, communicationem publicam prelo aliisve mediis curare.

§ 2. Caput Curiae nominetur Vicarius generalis aut, si plures sint, unus ex Vicariis generalibus, nisi tamen locorum adiuncta aliud suadeant (vel: nisi iure particulari scripto vel consuetudinario aliud caveatur). »

Circa § 2, Rev.mus sextus Consultor obicit hanc normam non congruere ubi ex regula unus habeatur Vicarius generalis. Praeterea ipsi Rev.mo non placent verba « Ordinario a quo emanant » in § 1 canonis, quia multa emanare debent ab auctoritate quam ipse Vicarius habet. Respondet tamen Rev.mus Secretarius Ad. multa fieri a Cancellario de Episcopi dioecesani mandato, sed Rev.mus sextus Consultor obicit hoc modo figuram Vicarii generalis vacuam fieri, utpote qui personaliter respondere debeat circa universam actuositatem administrativam, sub Episcopi quidem auctoritate: necesse est enim, sequitur Rev.mus, ut unus adsit responsabilis, cum necessaria potestate ad actus administrativos ponendos.

Exc.mus tertius Consultor oportere non existimat ut, ubi plures sint Vicarii generales, omnia acta subsignari debeant a Curiae Capite.

Ad difficultates solvendas, Rev.mus sextus Consultor hunc procedendi modum suggerit: *a)* ponatur imprimis regula generalis: si unicus sit Vicarius generalis, omnia acta quae ex eius auctoritate emanant ab eo subsignentur, etc.; *b)* recenseantur postea casus in quibus regula haec generalis non servatur, quia plures adsunt Vicarii generales, quo in casu retineri possunt verba « una cum Ordinario a quo emanant ». Rev.mus praeterea in adstantium mentem revocat statisticam confectam a Rev.mo septimo Consultore circa numerum Presbyterorum in singulis dioecesibus, quod quidem attente prae oculis habendum est ad statuendas normas generales quae omnibus casibus applicari valeant. Censet quoque Rev.mus sextus Consultor haec omnia de competentia Capitis Curiae be-

ne componi posse cum reservatione aliquarum causarum quam Episcopus dioecesanus facere valet si id expedire existimet. Demum Rev.mus multas videt difficultates in redactione § 2 canonis, praesertim quoad valorem actorum quae subsignentur a Capite Curiae qui non sit Vicarius generalis.

*Can. 7*

Sequens textus proponitur:

« Episcopi dioecesani est curare ut uniuscuiusque Curiae officialis debita provideatur remunerationi, habita quidem ratione muneris quod adimplent atque, laici si sint, eorundem status familiae, utque etiam eorundem praevidentiae sociali prospiciatur ».

Adversus hunc textum nullae moventur animadversiones.

DE CANCELLARIO ALIISQUE NOTARIIS

*Can. 372*

Existimat Rev.mus Secretarius Ad. cancellarium esse debere sacerdotem, utpote qui omnia acta cognoscere debeat, etiam matrimonia secreta, etc.

Exc.mus quartus atque Rev.mus sextus Consultores censent cancellarium esse posse laicum, quapropter malunt ut in canone non dicatur eum sacerdotem esse debere.

Alii autem expedire existimant ut sit semper presbyter, et Exc.mus tertius Consultor dubitat num forte et diaconi ad hoc munus nominari possint. Rev.mus Secretarius Ad. proponit ut in canone dicatur:

« qui sit sacerdos, nisi ob specialia adiuncta Episcopus aliud iudicaverit ».

Etiam Rev.mus Secretarius Ad. addenda esse censet verba «cuius praecipuum munus sit curare ut acta Curiae redigantur et expediantur, eadem in archivio custodiantur ... ».

Quoad § 2, omnibus placet ut servetur, excepto Exc.mo quarto Consultore, qui illam § censet inutilem. Quoad § 3, placet maioritati Consultorum ut etiam Vicecancellarius sit notarius.

*Can. 373*

Concordant Consultores in eo, quod §§ 1 et 2 in unicum paragraphum componantur.

Plerique Consultores etiam approbant ut in causis criminalibus clericorum notarius sit sacerdos (cfr. § 3).

Etiam retinendae videntur §§ 4 et 5, sed in hac § 5 statui debet omnes removeri posse ad nutum Episcopi dioecesani.

*Can. 374*

Placet ut maneat § 1, expungatur vero § 2.

*Can. 375*

Rev.mus sextus Consultor distinctionem suggerit inter adnotationem in libro regesto et archivum. Alii autem censent hanc rem determinandam non esse in lege generali. Canon ergo manet uti est.

*Can. 376*

Consentientibus omnibus, hic canon expungendus est.

*Can. 377*

Rev.mus Consultor distinguendum esse censet inter archivum clausum et acta quae valorem historicum habeant et ab aliis inspicere possint.

Exc.mus quartus Consultor, se etiam referens ad canonem 384, dicit quandoque conflictum oriri posse cum gubernio civili, quia eius officiales dicunt ius se habere ad quaedam documenta inspicienda: ergo distinctionem proponit inter illos christifideles qui ius habent inspiciendi quaedam documenta et alios qui hoc iure profecto carent. His attentis, Rev.mus Secretarius Ad. proponit ut in canone 384, § 1 dicatur: « fit christifidelibus quibus interest inspiciendi ius ». Exoptat quoque Rev.mus sextus Consultor ut, in eodem canone 384, mentio fiat sic dictae photocopiae. Canon autem 384 ponendus est immediate post can. 377.

*Can. 378*

Proponentibus Exc.mo quarto Consultore atque Rev.mo Secretario Ad. placet omnibus ut in § 1 dicatur simpliciter « ad breve tempus », necnon ut addatur « vel Vicarii generalis *et cancellarii* consensu ».

Paragraphus autem 2 manere potest uti est.

*Can. 379*

Placet omnibus ut deleantur §§ 2-4, utpote quae necessariae non sint; nam haec materia potius pertinet ad normas iuris particularis.

Quoad § 1 placet ut, in genere, redigatur modo simpliciore, utque loco verborum « Habeant praeterea Episcopi » dicatur « Adsit in Curia » et addatur quoque « retento, *hoc ultimo in casu*, facti brevi summario ... ».

*Cann. 380-382*

Concordant omnes in eo quod haec materia ad simpliciore formam redigatur. Rev.mus Secretarius Ad. haec principia generalia proponit: *a*) duae habeantur claves, quae detinentur ab Episcopo et a Cancellario aut alio presbytero; *b*) Sede vacante, tantum aperiri potest hoc archivum in casu verae necessitatis, a Vicario generali eiusve delegato; *c*) documenta ex archivo ne efferantur.

*Can. 383*

Exc.mus tertius Consultor exoptat ut hoc praescriptum maneat saltem quoad paroecias.

Exc.mus secundus Consultor censet hanc materiam pertinere ad quoddam sic dictum « regolamento ».

Rev.mus sextus Consultor existimat canonem servari posse. Cui alii assentiunt.

## DE EXAMINATORIBUS SYNODALIBUS ET PAROCHIS CONSULTORIBUS

In votis scriptis, multi Consultores desiderant ut hi canones expungantur; alii exoptant ut examinatores maneant solummodo pro concursibus ad paroecias providendas.

Re quidem vera, parochi consultores supprimi posse videntur, quia eorum munus adimpletur a Consilio presbyterali. Animadvertit autem Rev.mus sextus Consultor in canonibus de Consilio presbyterali explicite agendum esse de competentia quam nunc habent parochi consultores quoad parochorum translationem et amotionem. Hoc placet omnibus.

Exc.mus tertius Consultor utile esse censet ut singulis in dioecibus adsit coetus peritorum in re theologica. Respondet Em.mus Praeses in Synodo Episcoporum postulatum esse ut Commissio theologica apud Curiam Romanam habeatur, ex quo sequitur ut similis commissio etiam in dioecibus haberi debeat cum functione promotionis ac vigilantiae.

Mavult Exc.mus quartus Consultor ut libertas Episcopo relinquatur in designandis iis qui hanc commissionem theologicam vel doctrinalem efforment in singulis dioecesibus. Obicit tamen Rev.mus sextus Consultor examinatores, iuxta Codicis disciplinam, eligi ab ipsa Synodo dioecesana, quamvis utique adesse possint examinatores prosynodales.

Exc.mus primus Consultor iuxta ea quae in suo voto scripserat, opportunum esse censet ut Consilium presbyterale quosdam sacerdotes consultores eligat, quod Episcopus audiat quoties de nominatione ad aliquod munus agatur.

Em.mus Praeses dicit hunc coetum, sive pro examinibus sive pro tuenda fidei integritate, seligi forte posse, audito Consilio presbyterali, sed attendendum quoque esse censet ad modum iuxta quem Commissio doctrinalis apud Curiam Romanam constituetur.

Propter functionem quam examinatores exercere debent, Rev.mus sextus Consultor necessarium esse existimat ut ipsi necessaria gaudeant libertate proferendi suam sententiam, quapropter expedire non videtur ut sint amovibiles ad nutum. Ergo, quoad examinatores, in canone dicendum est: « ne removeantur nisi ob gravem causam, et audito Consilio presbyterali ».

#### DE OECONOMIS

Rev.mus Secretarius Ad. statuendum esse censet ut in unaquaque dioecesi habeatur oeconomus, vir vere peritus, qui laicus esse potest.

Formula vero haec esse potest: « Consilium de rebus oeconomicis, cui praeest oeconomus, vere peritus ... ».

Exc.mus secundus Consultor periculum adesse existimat si sit persona physica, et mavult ut sit semper consilium, quod placet omnibus.

Rev.mus Secretarius Ad. determinandam esse censet independentiam huius consilii ab Episcopo, quia agitur de bonis Ecclesiae sive Populi Dei, et ideo Episcopus ea ut sua tractare non debet. Proponit ergo organum simile sic dictae « corte dei conti ».

Exc.mus primus Consultor distinguendum esse censet directionem inter et executionem. Prima fiat oportet per consilium, cui praeest Episcopus, altera vero per oeconomum, ne Episcopus per se negotia gerat.

Exc.mus primus Consultor haec statuenda esse existimat: *a)* oeconomus est personaliter responsabilis; *b)* haec responsabilitas praesupponit aliquam independentiam ab Episcopo; *c)* singulis annis alicui coetui subiciatur status quaestuum et erogationum, itemque ratio reddatur eidem coetui; qui vero non sit coetus administrativus, et in quo etiam laici partem habeant.

His auditis, Consultores audiendum esse censent Coetum Consultorum «De bonis patrimonialibus».

#### DE CAPITULIS

Rev. mus Secretarius Ad. sic exponit statum quaestionis, iuxta Consultorum vota:

*a)* quidam malunt ut Capitula simpliciter supprimantur. In hoc tamen difficultates adsunt, nam, ex. gr. in Belgio Capitula habent personalitatem iuridicam civilem, quapropter, si supprimantur, eorum bona fient rem nullius;

*b)* alii desiderant ut remaneant sicuti nunc sunt;

*c)* alii demum praeoptant ut Capitula maneant solummodo ad liturgica munera exercenda. Etiam in hoc difficultas adest, quia ex. gr. in Helvetia Capitula ius habent eligendi Episcopum.

Respondet Exc. mus secundus Consultor Concilii mentem esse ut Consilia presbyteralia substituantur Capitulis; ad bona autem quod attinet, ipsa penes Capitulum manent, si ipsum conservetur tantum quoad res liturgicas; quoad privilegia vero, hodierna praxis est ut supprimantur. Concordant etiam Exc. mi quintus et tertius Consultores, qui dicunt praeterea electionem Vicarii Capitularis bene fieri posse a Consilio presbyterali. Exc. mus primus Consultor timet ne, in casu quo Vicarius Capitularis a Consilio presbyterorum eligitur, certis in casibus Vicarius Capitularis eligatur sub influxu alicuius coetus « de pression ».

Censet Exc. mus quartus Consultor hac in re prae oculis habendam esse realem situationem fere omnium dioecesium, quae capitulo carent ob sacerdotum penuriam: exoptat ergo Exc. mus ut Vicarius Capitularis semper eligatur a consultoribus — ab Episcopo quidem designandis —, qui consultores et membra sunt Consilii presbyteralis. Rev. mus sextus Consultor desiderat ut Capitulum remaneat sicuti nunc est, quia agitur de institutione traditionali. Deinde vero, cum de Consilio presbyterali agatur, determinari poterunt quatenam quaestiones competant Capitulo, quatenam Consilio presbyterali.

Rev. mus octavus Consultor dicit laborem huius Coetus respicere generales Ecclesiae leges; quapropter statuta privilegiata prae oculis haberi non debent. Mens autem Codicis est ut habeantur Capitula: *a)* ad divini cultus decorem; *b)* ut Episcopi senatum. Concilium autem nihil dixit de prima functione; quoad secundam vero, Consilium presbyterale iam vocavit *senat-*

*tum Episcopi.* Adiungit praeterea Rev. mus canones iam paratos esse de « Consilio episcopali », ergo suppressendum esse censet Capitulum quae tertium « senatum » Episcopi, quia sufficiunt duo, nempe Consilium episcopale et Consilium presbyterale.

Existimat Rev. mus nonus Consultor Capitulum, ubi adsit, servandum esse cum limitatis facultatibus; ubi autem non adsit, plerisque quidem in dioecesibus, ne instauretur, sed prae oculis hoc habeatur oportet in canonicis redigendis, ne aliquid de Capitulo dicatur quod multis in dioecesibus ad effectum deduci nequeat. Adiungit Rev. mus functionem liturgicam magni momenti esse, attenta etiam traditione, qui praeterea haec duo proponit: *a)* Capituli Decanus sit ipso iure membrum Consilii presbyteralis; *b)* electio Vicarii capitularis fiat a Consilio presbyterali.

Sequentes fiunt suffragationes:

1) Ubi Capitula adsunt, ramanere poterunt, saltem pro ministerio liturgico, nisi Episcopus a Sancta Sede suppressionem impetret: placet.

2) Ubi existunt et adhuc operantur, debent servare ius eligendi Vicarium Capitularem et servare item debent regimen in sede plena: 4 responsiones affirmativae et 4 negativae.

3) Sede vacante, regimen dioecesis sit penes Capitulum, ubi adsit, et repraesentantes Consilii presbyteralis (nempe consultores, iuxta propositionem Exc. mi quarti Consultoris): 6 affirmative, 2 negative.

4) Quoties Codex praescribit ut audiatur Capitulum:

*a)* audiatur semper Consilium presbyterale: 2 Consultores.

*b)* distinguatur pro casuum diversitate: 5 Consultores.

His ergo dictis, Rev. mus Secretarius Ad. in mentem Consultorum revocat pro Sessione proxima huius Coetus votum apparandum esse de singulis canonicis quae respiciunt Capitulum canonicorum.

Sic expletur disceptatio et, precibus de more dictis, Sessio sexta Coetus « De Sacra Hierarchia » concluditur.

Romae, die 19 aprilis 1969.

J. HERRANZ  
*Actuarius*

